LEGATUS

à

CORDE SARMATIÆ

Vox Clamantis

JOANNES;

extra Desertum,

Oratoriis in Rostris DISERTUS,

olim

à Coronato Poloni Poli Principe

SIGISMUNDO I.

Ad Romani Imperii Augustum

CAROLUM V.

EXPEDITUS,

Et ab Eodem, attollentibus Eloquentiæ, & Scientiæ alis,

In grandem Grandium Hispaniæ dignitatem

ELATUS;



Nunc

à Perillustri, Illustri, ac Magnifica Ligatæ Eloqventiæ Juventute,

Regio BATHOREANI Athenæi, Societatis IESU,

Eodem Titulo, in Capite Anni Coronata,

è Mortalitatis Cineribus,

In Prototypon, & Metam Metagymnastici Actûs,

Dramaticis Vinculis

PRODUCTUS.

Anno

Legati, de Cœlo, in terras, pro nostra Salute descendentis,

1731.

Pridie Kalendas Augusti.

A R G U M E N T U M.

NUnquam gloriosiùs incedunt Mercurii, quàm si Eloquii, & Scientiæ instructi alis, à Coronatis Terrarum Numinibus, è Patrio Cœlo, in alienum expediantur. Palpare libet hanc veritatem in JOANNE, tam Polono, quàm Ausonio Orbi charo Legato, SIGISMUNDI primi Poloniarum Regis, ad CAROLUM V. expedito, qui fluidâ facundiâ, & rarâ scientiâ, ita dilectus evasit CAROLO ut eum Grandem Hispaniæ (qui summus honor est) creaverit. *Penzinger in 4 Mund: Monarch: Comp: Discur:* IV. *Histor:* 4.

P R O L O G U S.

G*Enius* JOANNIS *Legationis charactere accinctus Viæ, Morpheum in itinere legens, videt grandem Turrim in suos prolabi humeros, in iisq; recumbere.*

I N T E R L U D I U M.

A C T U S Imus.

Scena Ima. CAROLUS V. onustus trophæis Victrici præcinctus laureâ, Captivo præeunte Francisco Galliæ Rege, (*a*) Summo cum triumpho ingreditur Senatum, ubi occupatô soliô, mandat Franciscum Custodiæ, ipse verò salutat Proceres, à quibus etiam solennibus attollitur applausibus, & Pater Patriæ declamatur.

Scena 2da. Volante adhuc per aëra plausû, subit Senatum Hugo; Legatus à CAROLO ad Regem Sforciæ (*b*) expeditus, datq; nuntium, ab Hispanis iterum reliquos rebelles victos esse Gallos, in quo conflictu, etiam primum ex Primoribus Grandibus Hispaniæ occubuisse.

Scena 3tia. Lætus CAROLUS hôc Nuntiô, pacatumq; suum jam videns Regnû statuit expedire Legatum ad Sigismundum Poloniarum Monarcham, ut supplicantem sibi Theutonum Ordinem, ad Pacis fœdera cum Sigismundo inducat. (*c*)

Scena 4ta. Supervenit unus è Proceribus nuntians è Polonia venisse Legatum, quô nuntiô CAROLUS acceptô, jubet totum Senatum obviam ire, solô suo lateri adhærente Hugone.

Scena 5ta. Ingressus JOANNES Senatum, orditur Victorias CAROLI, laureâ decorare lingvæ, totusq; in encomia Cæsaris fluidissimæ orationis effunditur flumine. Victus CAROLUS JOANNIS facundiâ, Victricem herbam de suo capiens capite, JOANNIS coronat verticem, subjiciens: *Incumbet humeris hic brevi Turris tuis.* Librumq; de statu Regni Hispaniæ porrigit, quem evolvendû commendat.

C H O R U S Imus.

I*N Genium* JOANNIS *immersum libro irruit Genius Hugonis, ut eum è libro deleat Viventium, sed Genius* JOANNIS, *ictum Calami ferrei, oppositione Voluminis eludit.*

I N T E R L U D I U M.

A C T U S 2dus.

Scena Ima. Hugo ægrô ferens animô advenam JOANNEM, nullis prævii s meritis sic honorari, sibi verò pro tot Legationibus, cum molestia susceptis, nihil simile præstari, Acheronta movet contra Cæsarem, sed hæc adhuc mitigat, spe succedendi in locum defuncti Grandis Hispaniæ. Illud verò maximè observat CAROLI ad JOANNEM dictum: *Incumbet humeris &c.* & cum seriò scrutatur, reperit in via nudum gladium, quem dum attollit, oculisq; perlustrat, advertit inaratum: *Erit gladius hic clavis ad Turrim tibi.* Anceps contentorum, tam in Cæsaris effato, quàm in Epigraphe gladii, statuit adire Meringum.

Scena

(*a*) *P. Kwiatkiewicz in annal: Anno* 1525. (*b*) *Idem Ibidem.* (*c*) *Idem ibidem Anno* 1520.

Scena 2da. Meringus properans ad Senatum obviat Hugoni, quæritq; quem evaginato expectaret gladio, cui Hugo reponit se invenisse in via, dubiumq; hærere super perplexitate inscriptionis: Quærit ergo Meringum, Quid sonaret illud Cæsaris: *Incumbet humeris &c.* Meringus Vir ingenii acutissimi, sciens Hugonem benè meritum esse de Cæsare, dicit: indicari sibi aliquam grandem dignitatem in Hispania; his verbis: *Incumbet humeris Turris*, à stemmate Turrium Hispaniæ. Ad Epigraphen verò gladii, respondet; si qui obices reperirentur, hoc gladiô essent amovendi; similiter differens: *Clavis ad Turrim, &c.*

Scena 3tia. Commotus priori explicatione Hugo, quod præter summa signa favoris, etiam hic JOANNI promitteretur honor, (quem sibi dari certo sperabat) exhilaratur posteriori, quòd sublato è Vivis JOANNE tanquam Obice, sit illum capturus. Et ubi meditatur de modo tollendi, cernit Ephebum properantem ad Theonem unum ex Senatoribus, quem agnoscens esse JOANNIS, quærit: sitne quis apud JOANNEM? respondente Ephebo: solum in conclavi volvere librum; Capit animum eum adeundi, & insperatè occidendi.

Scena 4ta. Suspenso pede intrat Hugo palatium, ubi videns solum JOANNEM in Conclavi immersum libro, unô aggreditur ictu, sed JOANNES imperterritô animô, sinè ulla sui læsione, illum librô tanquam clypeô eludit, solùm mediâ voluminis confossâ parte. Inaudiens verò strepitum advenientium Chrascii Secretarii JOANNIS, & Ephebi Francisci Regis, cum literis ad JOANNEM, ab ulteriori abstinet ictu. Ne autem suspicionem intentatæ relinqueret cædis, simulat hæc fieri à se ex confidentia, ut experimento probet, utrùm Poloni sint ita generosi animi, prout per aures feruntur.

Scena 5ta. Egressus à JOANNE Hugo, agitatur furiis, quod optimam nactus occasionem, suis non satisfecerit Votis, quare calumniosâ perdendi jam JOANNEM incedit viâ: Intrat enim Senatum referens CAROLO, quod JOANNES immemor gratiarum; cum Francisco moliatur contra Cæsarem. Alteratus Cæsar jubet JOANNEM duci ad Turrim, (*d*) vigilantiq; circumdari milite, ut ibi sub honesta teneatur custodia; antequam in Poloniam expediatur, ne aliquas cum Francisco ageret pactiones. Librumq; à se datum referri jubet; cujus rei spartham committit Theoni.

CHORUS 2dus.

Genius Hugonis dum grandem lapidem, velut alter Sisyphus in caput Genii attollit JOANNIS, ipse eodem desuper cadente obruitur.

INTERLUDIUM.

ACTUS 3tius.

Scena 1ma. JOANNES Calumniarum sibi objectarum ignarus, properat ad Senatum, sed in ipso limine Aulæ, ab obvio sibi Theone cum manipulo militum detinetur, jubeturq; statim Palatiô exesse, & conferre se ad Arcem dictam Turrim. Admiratus JOANNES inopinam vicissitudinem, pergit in assistentia Custodiæ militaris in Arcem, quam subiens recolit illud Cæsaris dictum verificari: *Incumbet humeris &c.* Theones verò indolens ejus infortunio (erat enim amicissimus) petit reddi librum, quem à CAROLO acceperat, ut eum illi referat, quem casu aperiens incidit in folia perforata, quærit, utrum talem acceperit? sed à JOANNE edocetur: Hugonem gladio perfodisse, totaq; series rei narratur.

Scena 2da. Properans Theones cum accepto librô, invenit in area arcis Codicem; ingenio & eruditâ JOANNIS manu concinnatum, quem ubi perlustrat, videt cultissimè Heroico Carmine CAROLI decantari Victorias. Ingressus Aulam offert CAROLO librum, refertq; medietatem esse ab Hugone perfixam; JOAN-

(*d*) *Arx dicta fuit Romæ Turris. Baron:*

AN-

ANNEM verò solâ invidiâ esse delatum, eò quod à Majestate, gratiis cumularetur advena Legatus, non verò Cæsaris Hugo. Ut etiam omnem deleat suspicionem, porrigit libellum JOANNIS. CAROLUS relectô paucô carmine; summè delectatus, jubet exnunc ad se duci Hugonem.

Scena 3tia. Adducto Hugoni in Aulam exprobrat læsionem CAROLUS libri, & intentatæ cædis JOANNI, Hugo ubi prosternitur ad plantas, excidit gladius, quem sub pallio semper portabat. Exasperatus CAROLUS, novâ suspicione, nonne etiam suæ Hugo insidietur vitæ, jubet è terra levari gladium, quem attollens Theones ; manifestat innocentiam JOANNIS, & malitiam proditam Hugonis. Cæsar versans gladium ubi incidit in illud: *Erit gladius hic Clavis ad Turrim tibi.* Turri includi jubet (e) Ad JOANNEM verò totam expedit Aulam, ad se invitandum.

Scena 4ta. Illachrymatur Hugo suo infortunio, quòd pro Turribus Hispaniæ, per quas intelligebat grandem Grandium dignitatem, gladius evaserit clavis ad perpetui carceris Turrim, ingeminansq; illud: *Erit gladius hic clavis ad Turrim tibi* infert in ergastulum pedes.

Scena 5ta. Vix prætergressô limina Regiæ, JOANNI CAROLUS obvius occurrit, suam citò credulam accusans aurem. Ut autem mœstum exhilaret JOANNEM, jubet festivas Satyros celebrare choreas. Finitô verò saltu, in præmium eruditè compositi libri, Grandem creat Hispaniæ, & quæ dignitas ænigmate hucusq; obscurabatur: *Incumbet humeris hic brevi Turris tuis*, jam totius Senatus gratulatoriô illustratur Ore.

E P I L O G U S.

BATHOREANA Pallas Genium IOANNIS cernens Eloquentiæ & Scientiæ suffragio, Grandibus annumerari Hispaniæ, Candidatorum Nomina, in Domo Sapientiæ ad altiores promovet Honores. Post impositas verò emeritis Capitibus Coronas, annuæ Legationi, & scenico Actui imponit Coronidem.

(e) *Turres, Romæ dicebantur: perpetui Carceres.* P. *Kwiatkiewicz.*

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. nec non S. P. N. IGNATII Venerationem.

